



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1541. usque ad annum 1546

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1770**

**VD18 90118510**

§. 119. Consultationes de dogmatibus fidei.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66615)

Sæcul. XVI  
A C. 1546. Præterea Cardinalis Cervinus asser-  
bat, hanc quæstionem eo duntaxat re-  
duci, utrum de residentia Decretum sit  
conficiendum, vel potius differendum  
(\*). Patres itaque sententiam ferre  
rogati in id consensere, ut ea de re am-  
plius opportuniore tempore deliberare-  
tur.

## §. CXIX.

*Consultationes de dogmatibus fidei.*

Pallav. 1. 7.  
c. 3. n. 1. Eodem tempore, quo de cunctis hisce  
articulis in peculiaribus Patrum  
Conventibus circa morum emendatio-  
nem agebatur, simul etiam alii habe-  
bantur congressus, in quibus quæstio-  
nes de fidei dogmatibus discutiebantur.

Ve-

*amplius sanctione ad stabiliendam ipsorum  
mansionem. Adjecit adhæc, quod spectaret  
ad Cardinales, Pontificem de se prospectu-  
rum: de iis tamen haud parvam aliquibus ra-  
tionem habendam videri; illos plerumque E-  
piscopos non esse, sed solum quorundam Epi-  
scopatuum Administratores: Et propter maio-  
rem, qua pollebant, auctoritatem multos ex  
Purpuratis longe melius suas Ecclesias regere  
absentes, quam minores Episcopi præsentem  
regerent.*

(\*). Pallavicinus habet: *An præstolan-  
dam obstaculorum remotionem.*



Sæcul XVI.  
A. C. 1546.

Verum non minus Cæsarei, quam Hispani atque Itali Præsules Imperatoris dominio subjecti dogmatum sanctiones retardare pro viribus nitebantur, causati, satis superque in una Sessione actum, si scholasticarum exercitationum, ac Concionum corruptelis remedium fuit oppositum. Legati hanc Præsulum oppositionem a Cæsaris Ministris concitatam suspicabantur, eo quod hi nuper secretum cum illis colloquium habuissent, quapropter hac de re datis Romam literis Papam certiore reddiderunt, a quo tamen eis responsum, ac præceptum, ut huic negotio moram ponerent, donec speciale illis mandatum de super transmitti valeat. Hinc ea res usque ad Paschatis festa indecisa permansit, postquam vero ineunte mense Majo quæstionem de peccato, ut vocant, originali agitare jubebantur, Franciscus Toletanus Cæsaris Legatus reclam comperta Legatos visum ibat, non nisi officiosam salutationem simulans, re tamen ipsa arcana eorum consilia elicere tentabat, vario ad hoc usus dicendi artificio, nam interdum suadebat, quandoque autem, quid ipse de prosequenda reformationis materia, utpote unico præsentis examinis scopo, sentiret, proponebat. Attamen Legati Francisco sic responderunt: *Quid hoc aliud esset, ac*

005

Sy-



Sæcul. XVI. *Synodum ad solos Catholicos, non ad hæreticos damnandos celebrare, dum illorum mores per emendationum Decreta improbarentur, horum vero errores ab anathematum sententia essent immunes? Consideraret itaque, jam a Concilio fuisse sancitum, quod de Doctrina junctim cum Reformatione agendum esset, idque a summo Pontifice editis Constitutionibus fuisset præceptum: his occedit, quod datis ad Papam literis eidem significaverimus, nos finita Paschatis hebdomada mox incepturos.*

## §. CXX.

*Cæsaris Legatus dogmatum examini oblectatus.*

Ad hæc Legatorum verba Orator denunciavit, sibi a Cæsare per literas, ut doctrinæ examini totis viribus obsteret, esse injunctum, seque nullum non lapidem moturum, ut Principis sui voto a Patribus satisfaceret, cum æquitati adversaretur, Cæsari tam excelso, tamque de Religione bene merito offensio- nis causam præbere. His responderunt Legati, suarum esse partium, ut summo Pontifici morem gererent: mox tamen hunc in modum opposuit Tole- tanus: „ Probi Ministri partes sunt, sui „ Principis cum ceteris pacem ac con- „ cordiam conservare, neque confestim „ ejus